

reddidit. Ceterum ex *Corneri* privata institutione multo plus testatus est noster se profecisse, quam ex *M. Wagneri* manu ductione, utpote ex cujus negligentia, incommoda haud mediocria, utilitatis parum, retulerit. Neque *Mathemata* plane abiecit; sed *M. Jac. Focisci* studio aliquas se progressiones *Frankofurti* fecisse lætatus est: licet diffiteri haud potuerit, præter *Theologiam*, omnium studiosissime versibus pangendis se incubuisse. Qua quidem jucunda eruditionis parte, *Georgii Sabini*, qui juvenis adhuc, *Philippi* gener, tunc in *Academia Frankofurtana* docebat, ductu, tam egregios profectus acquisivit, ut cum æqualibus suis, jam in primis annis, certare inciperet. Ita *Helingi* *Academicorum* studiorum primitiæ læto successu effloruerunt. b)

§. VI.

Transacto autem anno *Frankofurtensi* integro, de tela hoc modo coepta pertexenda, continuandaque cogitatum est. In quo dum erat noster, vicina se obtulit, & fama *Doctorum* omnium, & *Lutheri* cum primis, adhuc illic docentis, gloria celebris *Witteberga*, quam *A. S. R. MDXLIII.* primum adiit circa vernale tempus, explorationis gratia. Dispositis autem rebus, conductoque hospicio, *Frankofurtum* denuo reversus est, ibidemque commoratus in *Autumnum* usque, Mense demum *Vilbri* extremo, atque adeo post exactum alterum annum dimidiatum, *Rectore Laur. Zochio J. V. D. & P. P.* eo commigravit. Quo cum adventaret, una cum reculis collectis, prima illi cura fuit, ut quantocyus *Lutheri* disciplinæ sese dederet: quem proinde concionantem legentemque summa diligentia audivit, eiq; ceteris tamen non neglectis *Professoribus*, veluti stellam, primæ magnitudinis, emicantem *Philippum*, ejusque ἀποδείξεις desideratissimas, adjunxit. Tantoque cum successu, eaque animi voluptate, hic litteris melioribus incubuit, ut propemodum poenitentia ductus sit, quod e patria

B

non